

A NEW MS. OF THE QUESTIONS ON THE POSTERIORA ANALYTICA  
 ATTRIBUTED TO PETRUS DE ALVERNIA (Clm 8005) WITH THE  
 TRANSCRIPTION OF SOME QUESTIONS RELATED TO PROBLEMS OF MEANING.

Jan Pinborg.

On the ff. 1-16 of the Ms. München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 8005 is found a series of questions on the Posterior Analytics, mutilated in the beginning and incomplete at the end. At the bottom of f.16ra a later hand adds: "Hic est defectus quaestionum Britonis et nec 3<sup>a</sup> pars scripta est". A modern hand has supplied "Guilelmi" before Britonis and "Aristotelis" before scripta. This logical text stands quite isolated in the Ms.

Now, a closer inspection of the text reveals that the questions are identical with the series attributed to "Petrus de Ybernia" in the Ms. Firenze, B.Laur., S.Crucis plut.XII sin.3 ff. 27v-37v and anonymously transmitted in the Ms. Cordoba, Bibl. Capit. 52 ff. 80v-100v<sup>1)</sup>.

The Munich Ms. begins abruptly one line into the 7th question of F. At the end it brings some questions on the later part of book I not contained in F: F stops at f.35ra with questions on chapter 16, whereas M, on ff. 14v-16r, also has questions on the chapters 17-19. Chapters 20-34 are missing in both Mss. F. moreover, has some questions on book II, of which nothing is left in M.

It is still uncertain who can be considered author of the text. The "Ybernia" of F most probably is a fault for "Alvernia". Evidently our text must be dated about 1270, and it is manifestly different both in technique and in doctrine from the commentaries of Peter of Ireland, the teacher of St.Thomas, as transmitted in the Ms. Vat.lat. 5988 f.53-103. The text shows close affinities to the Peri hermeneias-commentary of F, attributed to Petrus de Alvernia. Since, however, there is some uncertainty with regards to the different versions of this commentary, I leave the question of authorship open at present.

I have transcribed some questions related to problems of meaning which may facilitate comparison with other texts belonging to the same corpus of logical texts. The transcription follows F unless otherwise indicated. At another occasion a summary of all questions of this series will appear.

---

1. Cp. Sten Ebbesen & Jan Pinborg: Studies in the logical writings attributed to Boethius de Dacia. Cahiers... 3, 1970, p.3-4 & 8.

## QUAESTIO 23.

(F f.30r. M f. 4r).

Consequenter quaeritur, utrum signum universale adveniens termino communi distribuatur ipsum pro omnibus suis suppositis tam substantialibus quam accidentalibus unica distributione.

Et argueret aliquis quod sic:

1. quoniam illae duae 'omne b de necessitate est a' et 'omne b contingit esse a' vel opponuntur vel una antecedit ad oppositum alterius. Sed in illa 'omne b contingit esse a' supponit li 'b' pro omnibus, tam pro hiis quae sunt b quam pro hiis quae contingunt esse b, ut vult Aristoteles; est enim<sup>1</sup> ipsam dupliciter<sup>2</sup> accipere. Cum igitur pro eisdem suppositis supponat terminus in affirmativa et negativa, in illa 'omne b<sup>3</sup> de necessitate etc.' supponit pro omnibus tam substantialibus quam accidentalibus. Sic igitur pro omnibus distribuitur terminus.

2. Praeterea: Divisio facta pro aliquo per se fit divisio pro hiis, quae accidunt illi, ut divisio partis<sup>4</sup> dicitur accidens ipsius. Sed supposita per accidens accidunt suppositis per se, immo ex hoc dicuntur supposita per accidens. Nunc autem terminus distribuitur pro suppositis per se. Ergo distribueretur pro suppositis per accidens.

Oppositum huius arguitur, quoniam pro eo non fit distributio distributo termino, quod non cadit sub eius significato. Sed suppositum per accidens non cadit sub significato termini. Album enim non significat hominem. Quare non distribuitur pro suppositis per accidens terminus.

Praeterea idem arguitur: Terminus, qui<sup>5</sup> non significat accidens<sup>6</sup> nec per se nec per accidens, non<sup>7</sup> distribuitur per se nec per accidens. Sed terminus communis per se non significat accidens nec per accidens. Nam ita est in significando sicut in intelligendo. Sed in intelligendo non intelligit aliquis accidens; nam qua ratione unum intelligeret, et aliud, et omnia non potest, cum sint infinita. Ergo non distribuitur terminus pro suppositis per accidens.

Praeterea: Quando aliquid suppositum cadit sub distributione termini, sequitur ad ipsum enuntiatum<sup>8</sup>, ut 'omnis homo currit, ergo Sor'. Sed suppositum accidentale non sequitur ad terminum distributum enuntiatum<sup>9</sup>. Ergo etc.

Praeterea: Quando[que]<sup>10</sup> accipitur sub medio aliquid eorum pro quibus<sup>11</sup> fiebat distributio non est fallacia accidentis, sed<sup>12</sup> quando[que] sub medio accipitur<sup>13</sup> suppositum per accidens fit fallacia accidentis<sup>12</sup>, ut 'quidquid heri vidisti hodie vides, album heri vidisti, ergo album hodie vides' vel fallacia figurae dictionis, quia differunt illae duae fallaciae <non>nisi

penes<sup>14</sup> principium motivum, principium autem defectus est idem in utrisque.

Ad hoc intelligendum, quid est suppositum termini per se. Est enim id quod per se includit rationem termini magis determinate, ut hic homo est suppositum hominis per se. Nam qui dicit 'homo' dicit 'hic homo' nisi quod sub modo magis determinato. Et hoc apparet per Avicennam, ipse enim dicit: "Quod dicit genus indeterminate dicit species determinate, quod dicit species indeterminate dicit eius suppositum determinate" ut dicit, nec secundum ipsum est differentia nisi quod descendit genus in speciem per differentiam substantialem, species in individuum per materiam. Suppositum autem per accidens dico id quod accidit supposito per se et est ei coniunctum, ut hic homo est suppositum per se, album vero quod accidit huic homini est suppositum hominis per accidens.

Quando igitur tu quaeris, utrum terminus per signum distribuatur<sup>15</sup> pro suppositis per se et per accidens unica distributione, dico quod id sub quo per se cadit distributio ipsum est significatum<sup>16</sup> termini, et ideo pro illis quae cadunt sub significato termini fit distributio, et eo modo quo cadunt. Nunc autem supposita termini per se cadunt sub significato termini, ideo per se illa cadunt sub distributione termini, sive pro hiis per se distribuitur terminus. Supposita vero per accidens non cadunt per se sub significato, ideo per se non fit distributio pro eis. Nam si pro ipsis<sup>17</sup> posset fieri distributio, tunc in propositione universali praedicatum virtute sermonis eis attribueretur, et tunc illa propositio 'omne totum maius est sua parte' esset falsa. Nam album posset esse suppositum huius quod dico 'totum' per accidens, et est, si sit coniunctum alicui supposito per se 'totius', ut huic toto albo. Tamen vere non inest ei esse maius sua parte de necessitate simpliciter, immo nulla propositio universalis necessaria esset<sup>18</sup> vera. Sic<sup>19</sup> ergo supposita per accidens per se non cadunt sub distributione termini, nec eis virtute sermonis in universali affirmativa denotatur praedicatum attribui. Nihilominus tamen terminus<sup>20</sup> necessario distribuitur per accidens<sup>20</sup> pro suppositis per accidens, quoniam terminus distribuitur per se pro suppositis per se, ipsis autem coniuncta sunt supposita per accidens, immo ex hoc dicuntur supposita termini per accidens. Quando autem aliqua duo coniuncta sunt, quidquid contingit uni per se, contingit alteri saltem per accidens. Et ideo terminus de necessitate distribuitur pro suppositis per accidens, ut 'homo' distribuitur per signum<sup>21</sup> per se<sup>22</sup> pro hoc homine. Isti autem homini inest album, ideo pro albo fit distributio per accidens. Et si dicatur: Terminus distribuitur per se pro suppositis per se<sup>23</sup>, ita quod eis in propositionibus universalibus denotatur praedicatum attribui, et per accidens distribuitur pro suppositis<sup>23</sup> per accidens, per accidens

ergo<sup>24</sup> saltem denotatur praedicatum attribui suppositis per accidens in propositione universali affirmativa, dicendum quod si suppositis<sup>25</sup> per se denotaretur praedicatum per se attribui et suppositis per accidens denotaretur attribui per accidens. Nec hoc est inconveniens; non enim est inconveniens, quod si homo de necessitate sit animal simpliciter, quod album quod est eius suppositum per accidens sit animal de necessitate per accidens. Sic igitur dicendum quod terminus distribuitur pro suppositis tam per se quam per accidens et hoc unica distributione. Est enim una distributio qua<sup>26</sup> terminus per se distribuitur pro suppositis per se et per accidens pro suppositis per accidens, sicut si aliquis percuteret Sor et Sor esset albus, percuteret album eadem tamen percussione numero.

1. Ad rationem cum dicit " 'omne b est a' li 'b' distribuitur pro suppositis<sup>27</sup> tam per se quam per accidens," dicendum quod pro eisdem distribuitur respectu cuiuscumque praedicati et per se pro suppositis<sup>27</sup> per se et per accidens pro suppositis per accidens. Nec<sup>28</sup> ista 'omne b contingit esse a' habet diversitatem vel diversas causas veritatis. Nam<sup>29</sup> virtute sermonis solum denotatur praedicatum accipi pro suppositis sive pro eis quae sunt b sive pro eis quae contingunt esse b sive pro suppositis accidentalibus quod idem est.

2. Ad aliud "divisione facta pro aliquibus per se fit divisio pro illis quae accident", verum est; ideo fit distributio per accidens tantum.

Alia ratio in oppositum potest solvi: Cum enim dicitur "pro eo non distribuitur terminus quod non cadit sub eius significato" concedatur: quod aliquo modo non cadit sub significato termini. Tu dicis 'suppositum per accidens non cadit sub significato termini'; dicendum quod immo per accidens in quantum est coniunctum alicui quod per se cadit sub significato termini. Ideo per accidens fit distributio pro illis.

Ad aliam rationem dico, quod maior est vera. Ad minorem dico quod supposita per accidens significat terminus per accidens. Et tu probas quod non, quia sicut est in significando ita est in intelligendo. Verum est. Et<sup>30</sup> tu dicis "intellectus non intelligeret supposita per accidens", verum est<sup>30</sup>. Et tu<sup>31</sup> probas quod infinita non contingit intelligere, dico quod verum<sup>32</sup> est per se, sed per accidens bene contingit infinita intelligere. Qui enim intelligit universale, infinita intelligit<sup>32</sup> per accidens.

Ad aliud dico, quod suppositum accidentale sequitur ad terminum enuntiatum<sup>33</sup> per accidens.

Ad aliud dico quod "quidquid heri vidisti etc" non est fallacia aliqua<sup>34</sup> si sumas utramque praemissarum per accidens, immo<sup>35</sup> bonus est syllogismus. Si au-

tem sumas in una<sup>36</sup> suppositum per se et in alia<sup>37</sup> per accidens, sic est fallacia accidentis ex mutatione medii vel<sup>38</sup> figurae dictionis.

1 est enim: eam F. 2 dupliciter: dicit F. 3 omne b: om. F. 4 partis: pariete M. 5 Terminus qui: quod F. 6 accidens: om. F. 7 non: nec F. 8 enuntiatum: enuntiantem F entitatem M. 9 enuntiatum: enuntiantem F entitatem M. 10 accipitur: accidit F. 11 quibus: non add. M. 12 sed — accidentis: om. F. 13 accipitur: accepto M. 14 penes: patiens F. 15 distribuatur: distribuat F. 16 significatum: signum F. 17 ipsis: non add. F. 18 esset: est F. 19 Sic: si F. 20 terminus— accidens: om. F. 21 signum: se ergo F. 22 se: et add. F. 23 per se — suppositis: om. F. 24 ergo: om. F. 25 suppositis: om. F. 26 qua: quia F. 27 tam — suppositis: om. F. 28 Nec: ut M. 29 Nam: non M. 30 Et — est: om. F. 31 tu: ita F. 32 verum — intelligit: om. M. 33 enuntiatum: enuntiatio F entitate M. 34 aliqua: accidentis M. 35 immo: ideo F. 36 in una: unam M. 37 in alia: alia F aliam M. 38 vel: et F.

Opposed solutions: Boethius de Dacia, Top. II qu.4. — Anonymus, Priora Analytica qu. 56 & 73 (Miscellanea Mediaevalia VIII, 1971, pp. 260-63 & 268-72.)

#### QUAESTIO 24

(F f. 30r. M f.4v).

Consequenter quaeritur, utrum signum additum termino communi distribuat ipsum pro suppositis praesentibus, praeteritis et futuris unica distributione.

Et arguitur quod non dupliciter:

1. Primo sic: signum universale non unica distributione distribuit<sup>1</sup> pro hiis quae non habent rationem communem. Sed supposita praesentia, praeterita et futura ut talia sunt unam rationem communem<sup>2</sup> non habent. Praesens enim ut praesens, praeteritum ut praeteritum nihil habent commune univocum vel nullam<sup>3</sup> rationem. Ergo<sup>4</sup> signum non distribuet unica distributione tam pro suppositis praesentibus, praeteritis et futuris, saltem quia talia sunt, quia sine dubio aliud non<sup>5</sup> concludit ratio.

Praeterea: Quod praesens et praeteritum nihil habeant commune univocum hoc apparet, quoniam praeteritum est non ens, praesens autem est ens. Enti autem et non enti nihil est commune univocum.

2. Pro illis de quibus non praedicatur terminus, non distribuitur. Sed terminus communis non praedicatur de praeteritis nec de futuris. Ergo etc.

Oppositum apparet per Aristotelem. Ipse enim dicit quod dici de omni est quod non est in aliquo sic et in aliquo non, immo in omni et semper. Pro omnibus igitur distribuitur terminus sive sint entia sive non entia.

Ad hoc intelligendum, quod terminus communis substantialis sicut 'homo' in ratione sua nullum tempus includat. Quod autem terminus communis in ratione sua nihil includat, hoc apparet ex duobus: Primum est quod universale est ubique et semper, id est quod non determinat sibi aliquod tempus. Et iterum

hoc apparet quoniam illud quod potest determinari ad quodlibet tempus de se non erat determinatum ad aliud. Des enim<sup>6</sup> quod sit determinatum. Tunc sequitur quod non erat indifferens. Sed nos videmus quod natura termini communis universalis potest determinari ad quodlibet<sup>7</sup> tempus per aliquid adiunctum ex natura sua, ut homo praeteritus, futurus et praesens, manente eadem ratione. Quare indifferenter se habet natura communis termini ad quodlibet tempus. Nec eius suppositum ut hic homo, quantum est de se nullum tempus includit. Et huius probatio est, quoniam suppositum termini<sup>8</sup> est id quod de se includit rationem termini, magis tamen determinate, sicut vult Avicenna, nullum autem accidens includendo. Sic terminus de ratione sua non includit aliquod tempus, quod patet. Nam nomen significat<sup>9</sup> sine tempore. Ergo licet suppositum termini aliquod tempus includit, sic igitur terminus quantum est de ratione sua non includit aliquod tempus, immo tempus est extra rationem eius. Praesens autem vel praeteritum vel futurum secundum quod huiusmodi sunt tantum supposita per accidens sicut album et sedens.

Cum igitur tu quaeris, utrum unica distributione distribuatur terminus pro praesentibus, praeteritis et futuris, dico quod sic. Non tamen secundum quod praesentia, praeterita et futura. Nam secundum quod praesentia, praeterita et futura non habent aliquam rationem communem<sup>10</sup>. Sed pro suppositis praesentibus, praeteritis et futuris secundum quod formam termini includunt, bene distribuitur terminus unica distributione ut 'homo currit'. Probatio est, quoniam homo praesens,<sup>non</sup> secundum quod praesens, praeteritum et futurum, non secundum quod praeteritum et futurum, habent aliquam rationem communem, videlicet formam termini. Ideo unica distributione distribuitur terminus pro praesentibus, praeteritis et futuris, non tamen secundum quod huiusmodi.

Praeterea: Pro omnibus distribuatur terminus, ad quae se habet per indifferentiam; hoc verum est. Sed terminus<sup>11</sup> per indifferentiam se habet ad praesentia<sup>12</sup>, praeterita et futura, non secundum quod huiusmodi, ut apparet: Nam ad quaecumque<sup>13</sup> potest determinari, ad praesentem ut 'homo praesens', ad praeteritum ut 'homo praeteritus', ad futurum ut 'homo futurus'. Quare dicendum quod pro praesentibus, praeteritis et futuris, non tamen secundum quod huiusmodi, unica distributione distribuitur terminus.

Hoc autem apparet per Aristotelem I. huius, cum reprobat solutionem ad rationem Platonis, per quam probabat quod nostrum addiscere non erat nisi admisceri. Aristoteles enim dicit ibi, quod qui dicit omnem triangulum habere 3, sive qui novit omnem dualitatem esse parem, non solum novit esse parem de dualitate quam novit esse dualitatem, immo<sup>14</sup> de omni novit, quia signum pro omnibus dualitatibus distribuit terminum, tam pro notis quam pro non notis.

Nam dicit Aristoteles quod non est ibi aliqua determinatio contrahens<sup>15</sup> dualitatem ad dualitatem<sup>16</sup> quam quis novit. Similiter dicendo 'omnis homo' signum distribuit pro omnibus, tam praesentibus, praeteritis quam futuris; non enim est vel ponitur ibi determinatio aliqua determinans hominem ad praesentem tantum vel praeteritum tantum vel futurum.

1. Ad argumentum primum in oppositum, cum dicitur "supposita praesentia, praeterita et futura non habent aliquam rationem communem<sup>17</sup> secundum quam talia", verum est. Ideo unica distributione non potest distribui terminus pro praesentibus, praeteritis et futuris secundum quod talia.

2. Ad aliud: enti et non enti nihil est commune univocum. Dicendum quod immo alicui quod est et alicui quod non est est aliquid commune univocum, non tamen secundum quod est nec secundum quod non est.

3. Ad aliud, cum dicitur "pro illis de quibus non praedicatur terminus, non distribuitur terminus", conceditur. Tunc ad minorem aliqui dicunt, quod terminus communis non praedicatur de suppositis praeteritis et futuris, et alii dicunt quod sic. Et ideo postea quaeratur de hoc. (Quaestio 26).

1 distribuit: distribuat F. 2 communem: om. F. 3 vel nullam: ergo per illam M. 4 Ergo: om. M. 5 non: om. F. 6 Des enim: ens ita F. 7 quodlibet: aliquod F. 8 termini: om. F. 9 significat: est F. 10 communem: om. F. 11 terminus: praesens F. 12 praesentia: om. F. 13 quaecumque: quaestionem F. 14 immo: omni F. 15 contrahens: praesens contra F. 16 ad dualitatem: om. F. 17 communem: om. F.

Opposed solutions: Boethius Dacus, Top. II qu. 5. - Siger de Brabantia, Sophisma 'Omnis homo de necessitate est animal'. - Similar, but different solution: Anonymus, Priora analytica qu. 56 & 73 (Misc. Med. VIII, 1971, 260-63 & 268-72.)

#### QUAESTIO 25

(F f. 30v. M f. 4v)

Quia Aristoteles dicit, quod 'de omni' est quod non est aliquando sic et aliquando non, quaeritur utrum aliquod quod est suppositum termini in aliquo tempore possit non esse suppositum eius in alio.

Et argueret aliquis quod sic, quoniam aliquid dicitur suppositum termini, quia participat formam termini<sup>1</sup>, ut Sor qui nunc participat formam hominis; nam est in hiis carnibus et hiis ossibus. Quandoque <non participabit, quia> non erit in hiis, quando corruptus erit<sup>2</sup>. Quare nunc suppositum termini potest non esse suppositum in aliquo tempore.

Praeterea: Illud quod acquiritur per generationem, non habetur<sup>3</sup> ante generationem. Sed ratio suppositi per generationem acquiritur<sup>4</sup>; nam hic homo generatur, qui est suppositum hominis. Ergo aliquid est nunc suppositum, quod quandoque non fuit suppositum. In quo habeo propositum.

Oppositum arguitur per Aristotelem, qui dicit quod ubi est dici de omni, praedicatum necessario<sup>5</sup> debet inesse omni et semper, quod non oportet si aliquid quod est nunc suppositum posset non esse suppositum.

Ad hoc dico, quod si aliquid est suppositum termini per se semper est eius suppositum. Et hoc primo apparet, quoniam quae per se insunt, necessario insunt, et quae necessario insunt, insunt semper<sup>6</sup>. Ideo illud quod est suppositum termini per se, semper est eius suppositum.

Praeterea hoc arguo supponendo quod est verum nec ab aliquo sanae mentis est negandum, quod unumquodque semper vere praedicatur de se; et hoc etiam innuit Aristoteles VII. Metaphysicae; nam dicit ibi quod quare ipsum est ipsum est quaerere nihil, huiusmodi enim non est alia ratio nisi quia ipsum est. Ex hoc supposito arguo sic: causa quare aliquid fuit suppositum alicuius sit ratio sua. Ergo quamdiu ratio sua de ipso verificetur, tamdiu erit suppositum eius. Sed semper verificatur, ergo semper erit suppositum eius. Ideo quod est suppositum alicuius per se, semper est suppositum eius.

Ad argumentum in oppositum: "Suppositum termini est id quod participat formam termini", dico quod falsum est. Nam participans et participatum universaliter differunt. Suppositum autem termini est idem ipsi termino. Ideo suppositum termini non est aliud eo quod participat formam termini. Sor enim qui est suppositum hominis non participat hominem, immo est idem homini.

---

1 quia — termini: licet aliquid non participans formam termini quandoque non participabit eo M. 2 erit: est F. 3 habetur: acquiritur F. 4 Sed—acquiritur: om. F. 5 necessario: om. F. 6 necessario insunt et quae necessario insunt semper: et necessario insunt semper F.

---

Opposed solution: Boethius Dacus, Topica II qu. 5.

#### QUAESTIO 26

( F f. 30v. M f. 5r)

Consequenter quaeritur, utrum per signum distribuatur terminus de aliquo de quo non sit verum ipsum praedicari, et utrum dicendo 'omnis homo' li 'homo' distribuatur ibi pro supposito aliquo, de quo non sit verum hominem praedicari.



Et argueret aliquis quod sic, quoniam terminus distribuitur pro suis suppositis praeteritis et futuris et tamen verum non est de illis rationem termini praedicari. Quare pro aliquo distribuitur terminus, de quo non praedicatur vere.

Oppositum arguitur, quoniam dicit Aristoteles quod dici de omni est quando nihil est sumere sub subiecto de quo non dicatur praedicatum. Hic autem 'omnis homo est animal' est dici de omni. Ergo omne quod sumitur sub homine est animal, et si sic ergo fortiori ratione et ipse 'homo' qui distribuitur.

Ad hoc dicunt vel dixerunt quidam, quod pro aliquibus distribuitur terminus, de quibus non est verum praedicari id quod significatur per terminum, quoniam dicunt ipsi: suppositum termini est id quod significat idem quod terminus significat, magis autem determinate. Nunc autem aliquod non ens potest significare idem quod terminus significat magis tamen determinate<sup>1</sup>. Cum igitur de non ente non<sup>2</sup> praedicatur vere terminus, pro quibus tamen distribuitur, dicebant quod non vere de omnibus praedicatur terminus, pro quibus distribuitur. Nam distribuitur pro omnibus tam non entibus quam entibus.

Sed videamus quanta<sup>3</sup> est vis huius rationis. Est enim primo dicta: "id est suppositum termini quod significat idem quod ipse terminus". Falsum est, nam vox est id quod significat — ipsa enim debet significare rem ipsam — non tamen vox est suppositum termini nec sub distributione termini cadit; nam res est id quod distribuitur, sub distributione autem rei non potest cadere ipsa vox<sup>4</sup>. Quod si dicas: nonne<sup>5</sup> Caesar significat hominem <et> pro ipso distribuitur et tamen de Caesare non est verum praedicari hominem? dico quod Caesar non significat hominem, quod sit de virtute huius: 'Caesar est homo'; non enim pertinet ad rem significare<sup>6</sup>, immo potius significari<sup>7</sup>. Ideo dicendum, quod de quolibet supposito, quod cadit sub distributione termini<sup>8</sup>, verum est enuntiare ipsum terminum. Quod apparet, quoniam suppositum alicuius termini sicut hominis est pars hominis. Nunc autem Aristoteles dicit in V. Metaphysicae, quod duplex est totum: Est enim quoddam totum integrale quod habet partes omnes simul aggregatas, quae sunt ipsum totum. Aliud est totum quod habet partes quarum quaelibet per se est ipsum totum, et hoc est totum universale. Sic igitur, ut videtur velle Aristoteles, de ratione partis totius est quod sit eadem suo toti et quod in ipsa per se salvetur ipsum totum. Nunc autem talis pars est idem cum supposito, quia cum terminus non distribuatur nisi pro suis suppositis quae quidem sunt partes illius, dicendum quod pro omnibus illis pro quibus distribuitur terminus verum est ipsum praedicari, et hoc patet ex virtute dici de omni.

Ad argumentum in oppositum, cum tu dicis "quaedam sunt supposita termini de

quibus non praedicatur, sicut futura vel praeterita", tu includis in ratione illa oppositum eius quod dicis; in hac enim quod dicit quod supposita praedicta includunt rationem termini [sine hoc quod] dicit quod terminus vere de illis praedicatur, et postea dicit quod terminus non vere praedicatur. Non enim stant simul quod aliquod<sup>9</sup> rationem alicuius includat <et> quod tamen de illo non praedicatur illud.

---

1 quod — determinate: om. F. 2 non: om. F. 3 quanta: in quantum F. 4 vox: om. F. 5 nonne: non F. 6 significare: singulare F. 7 significari: in generali F. 8 termini: om. F. 9 aliquod: ad F.

Quaestio 27: Utrum dici per se sit dispositio praedicati vel subiecti...

Quaestio 28: Utrum sint tantum quatuor modi dicendi per se...

Quaestio 29: Utrum in entibus sit aliquod ens in cuius ratione cadit esse in effectum...

Quaestio 30: Utrum aliquod ens aliud a primo per se et per rationem suam habeat esse in effectum...

#### QUAESTIO 31

(F f.31r. M f.6r).

Consequenter quaeritur ad evidentiam eorum quae dicuntur, utrum ista 'homo est, est in effectum, vel animal est'<sup>1</sup> sit per se saltem iuxta secundum modum vel quartum.

Et argueret aliquis quod sic, quoniam sicut prius arguebatur (quaestio 30) Commentator dicit quod haec est per se 'homo est'. Et non est iuxta primum, ergo est iuxta secundum vel iuxta quartum.

2. Praeterea: Cuius est potentia, eius est actus. Nunc autem<sup>2</sup> homo, per hoc quod homo, est in potentia ad esse; ergo hominis, ex hoc quod homo, est esse. Quare haec est vera per se 'homo est'. Et non iuxta primum modum, ergo saltem iuxta secundum vel quartum.

3. Praeterea: Propria operatio alicuius per se inest illi cuius est propria operatio. Nunc autem esse est propria operatio entis, sicut vivere viventis. Ergo erit per se in effectum<sup>3</sup>. Cum igitur quae per se insunt omni insunt, omni enti inerit esse per se, et sic homini. Haec igitur est per se 'homo est'. Non est in primo, quia in ratione hominis non cadit esse in effectum, ut visum fuit (quaestio 30), ergo est vel in secundo vel in quarto.

Oppositum arguitur, quoniam illud quod potest non inesse alicui<sup>4</sup> non inest

illi iuxta secundum modum nec iuxta quartum. Nunc autem homo et animal possunt non esse, ut manifeste apparet, ergo esse non inest homini iuxta secundum modum nec iuxta quartum dicendi 'per se'.

Ad hoc intelligendum, quod duae sint multum fortes rationes, una ad unam partem et alia ad aliam, quae de utraque parte faciunt dubitare:

Quod enim esse in effectu non insit homini vel animali iuxta aliquem modum dicendi per se videtur: Quoniam quae <per> se<sup>5</sup> insunt, universaliter insunt, ut dicit philosophus secundo Metaphysicae, et potest etiam probari, quoniam quae per se insunt alicui, per rationem illius insunt ei, de omnibus igitur illis praedicatur in quibus ratio illius reperitur. Est igitur<sup>6</sup> ipsa universaliter sub omnibus contentis sub illo. Manifestum<sup>7</sup> quod illud quod<sup>8</sup> inerat illi per se universaliter inest, quia<sup>9</sup> quae per se insunt, de necessitate insunt, et quae de necessitate insunt, universaliter insunt. Sic igitur quod inest alicui per se, universaliter inest ei. Si ergo homo haberet esse in effectu per se, quilibet homo haberet esse in effectu per se et semper, quod falsum est. Sor enim potest non esse, immo etiam aliqui homines non sunt.

Alia ratio, quae facit dubitare de opposito, est quoniam in generabilibus et corruptibilibus<sup>10</sup> homo significat aggregatum ex materia et forma. Tale autem<sup>11</sup> aggregatum consequitur esse. Nam forma est quae dat esse rei. Propter quod videbitur, cum homo tale aggregatum significet, quod homo per se habeat esse in effectu.

Et quia istae rationes videntur concludere opposita, ideo procedendum est via media, ut utraque via sua procedere concedatur:

Propter hoc intelligendum, quod illa vox 'homo' vel 'animal' significat aggregatum ex materia et forma, quod quidem ut sic significatum<sup>12</sup> nullum tempus includit, nec praesens nec praeteritum nec futurum, quantum de ratione sua est. Sed significat ista vox 'homo' solum aggregatum cui — ut sic significatur — accidit ut sit<sup>13</sup> aggregatum nunc vel ut sit aggregatum posterius vel prius. Si 'homo' significat aggregatum nunc nullo modo verificaret<sup>14</sup> orationem aliquam pro aliquo praeterito nec ad aliquod praeteritum determinaretur<sup>15</sup>, quod falsum est. Nam haec est vera 'homo fuit<sup>16</sup> vel erit' et in utraque verificat locutionem pro aliquo quod non est. Ex quo apparet quod homo 'significat' aggregatum quod<sup>17</sup> indifferenter se habet, ut sic significatur, ad aggregatum<sup>18</sup> praesens, praeteritum et futurum. Aggregatum autem<sup>19</sup> idem consequitur esse<sup>20</sup>. Sed quia causa<sup>21</sup> debet proportionari effectus, cum 'homo' significat quoddam non includendo aliquod tempus, immo abstrahit a qualibet differentia temporis, oportet quod esse consequens ipsum hominem abstrahat ab esse nunc sive praesenti, praeterito et futuro, et quod<sup>22</sup> tale esse consequitur hominem vel inest

homini iuxta secundum modum dicendi per se, sive uno verbo nominetur sive pluribus, ut si sumeremus ipsum sub disiunctione sic<ut> esse<sup>23</sup> in praesenti, praeteriti vel futuro. Unde sicut curvum vel rectum inest lineae per se iuxta secundum modum, sic dicatur quod esse<sup>24</sup> in praesenti vel praeterito vel futuro inest homini iuxta secundum modum. Istud tamen esse non significatur per hoc verbum 'est', cum esse dicatur analogice de esse in praesenti, praeterito et futuro, et <est> per se sumptum dicat esse in effectu vel in praesenti, ut dicitur libro Perihermeneias.

Unde cum quaeritur, utrum esse in effectu per se insit homini, dico quod non, sicut nec curvum lineae per se. Et de esse in effectu bene concludit illa ratio sumpta, per quam probatur, quod esse non insit homini per se. Et hoc concessum est sicut nec est verum dicere, quod omnis linea sit curva, non sumendo curvum sub disiunctione ad suum oppositum, sic nec est verum dicere quod omnis homo sit in effectu vel in praesenti nisi sumendo praesens sub disiunctione ad praeteritum et futurum. Sed sicut linea omnis est recta vel curva, sic omnis homo<sup>25</sup> est in praesenti vel in praeterito vel in futuro, et sic esse in praesenti vel in praeterito vel in futuro consequitur hominem<sup>25</sup> sicut<sup>26</sup> rectum vel curvum lineam. Et haec concludit illa ratio, per quam probatur quod homo haberet esse per se.

Et si diceres, quod esse praesens, praeteritum et futurum hoc totum significaret<sup>27</sup> hoc verbum<sup>28</sup> 'est', concederetur illa esse per se 'homo est'<sup>29</sup> iuxta secundum modum dicendi per se, sicut si li. 'a' imponeretur ad significandum curvum vel rectum hoc totum et diceretur 'linea est a'. Et tunc ista esset vera<sup>23a</sup> 'Caesar est' quia est in praeterito, et 'Antichristus est' quia est in futuro.

Sic igitur apparet, quid dicendum est ad quaestionem.

Ad id quod tu arguis: Commentator dicit quod haec est per se 'homo est', dicendum sicut prius, quod si commentator intellexit quod li 'est' dicat esse in actu, quod ipse falsum dicit. Si autem intellexit quod li 'est' diceret esse in praesenti vel in praeterito vel in futuro, sic dico quod verum dixit.

Ad aliud "cuius est potentia, eius est actio", concedo. Et cuius est potentia per se, eius est actus per se. Tu dicis "hominis per se est potentia ad esse per se in effectu." Et hoc verum est sub disiunctione ad esse praesens, praeteritum et futurum. Et concedo.

Ad aliud "propria operatio alicuius inest illi per se", concedo. Tu dicis: "esse est propria operatio entis" verum est: esse proportionatum enti secundum quod ens<sup>30</sup>. Ens autem secundum se<sup>31</sup> abstrahit ab ente nunc et in praeterito et futuro. Ideo esse quod est propria operatio eius debet esse aliquod abstractum ab esse in praesenti et praeterito et futuro. Illud autem non est esse in prae-

senti solum. Ideo per se non est ipsi enti. Sed illud est esse<sup>32</sup> nunc vel praeteritum vel futurum; ideo de ente per se praedicatur. Et idem intelligo de omnibus propriis operationibus respectu<sup>33</sup> eorum, quorum sunt propriae operationes. Unde sicut animal abstrahitur a praesenti, praeterito et futuro, sic sentire<sup>34</sup>, quod est propria operatio eius<sup>35</sup>, a qualibet differentia temporis abstrahit, nullam illarum penitus intelligendo.

Ratio quae fuit facta ad oppositum bene procedit de esse in effectu, quod non insit homini per se.

Apparet etiam qualiter procedunt aliae duae rationes.

1 est: om. F. 2 Nunc autem: ut F. 3 Ergo — effectu: Ergo cum enti per se magis videtur esse in effectu F. 4 alicui: per se add. MF. 5 se: om. F. 6 Est igitur: om. F. 7 Manifestum: in alio F. 8 quod: om. M. 9 quia: quae etiam M. 10 et corruptibilibus: om. F. 11 autem: enim FM. 12 significatum: significat F. 13 sit: sic significat M. 14 verificaret: verificare posset M. 15 determinaretur: determinari M. 16 fuit: est F. 17 quod: per quod M. 18 quod — aggregatum: om. F. 19 autem: om. F. 20 esse: idem F. 21 causa: esse F. 22 et quod: quod F et M. 23 esse: est F. 24 esse: es F. 25 est — hominem: esse in praesenti vel in praeterito vel in futuro consequitur hominem F est in praeterito vel in praesenti vel in futuro consequitur hominem M. 26 sicut: vel F. 27 significaret: segregaret F. 28 verbum: nobis F. 29 homo est: om. F. 29a Et— vera: id est ratio illa est vera F. 30 secundum quod ens: om. F. 31 se: quod F. 32 esse: essentialis F. 33 respectu: rerum F. 34 sentire: sensibile F. 35 eius: ut est eius propria operatio sentire add. FM.

#### QUAESTIO 32- 33

have been edited previously, in Cahiers 3 (1970) pp. 17-22. The new Ms., however, makes it possible to correct faulty readings of F in some places, even if it does not permit us to make a flawless text.

p.18, lin. 19. licet: om. M.

lin. 22.. si haec est falsa 'Caesar est Caesar' M.

lin. 25. ergo Caesar est Caesar M.

lin. 26. Ergo sequitur Caesar non est Caesar M. But the whole argument is still dubious.

lin. 29. nam da quod non praedicentur de aliquo uno, ergo nec M.

lin. 33-34. de opposito, quod est inconueniens. Si autem dicas quod de non Caesare similiter oppositum de opposito praedicatur, quoniam Caesar de non Caesare, vel sic: Caesar et non Caesar praedicantur de Caesare vel de non Caesare, ergo opposita... M.

lin. 48. et ideo non obstante quod Caesar non est adhuc est... M.

lin. 49-50. in ratione Caesaris cadit animal M.

p. 18, lin. 52. nec Caesar nec aliquod aliud M.

lin.55-57. dicunt ipsi hoc verbum 'est' per se sumptum vel cum aliquo non diminuente. De natura enim praedicat esse in actu. Et ideo cum istud nomen non sit nomen diminuens in oratione proposita praedicabit esse in actu. Caesare autem non existente... M.

p.19, lin.60. Sic etiam Aristoteles dicit M.

lin. 62. sumptum M (cp. note 2).

lin. 74. propositionem M (cp. note 3).

lin.77-78. sequitur ad aliud, de quocumque non est verum praedicari M.

lin. 81. in effectu — universalialia enim sunt de necessitate semper — ergo de quo non erit verum... M.

lin. 84. Haec igitur (cp. note 5) est falsa M.

lin. 92. adhuc est suppositum hominis per se M.

p. 20, lin.11-13. praedicari. Propter hoc negant istam 'Caesar est homo' concedendo istam 'Caesar est Caesar', quoniam Caesar corruptus est Caesar. In istis tamen dictis est  $\uparrow$ materia praedicatum $\uparrow$ , quia enim primo dicitur quod Sor vel Caesar sit alicuius temporis determinati, licet Caesar non habeat esse nisi per aliquod tempus, nam... M.

lin.15. per illam vocem 'homo' M.

lin.16. Si enim tempus determinatum includeret... M.

1.17-18. iam illa esst falsa 'Caesar est Caesar' Caesare non existente, quoniam propositio significans aliqua esse eadem, quae includunt... M.

1. 20. Si tunc Caesar in suo significato M.

1. 24. in suo significato non includit M.

1.25-26. quod includit species, includit eius individuum M.

1. 29. species vero descendit M.

1. 31-32. tempus indeterminatum et sic diffiniens hominem vel aliquam aliam speciem acciperet tempus... M.

1. 34-35. Quare de ratione Caesaris non esset tempus determinatum M.

1.44-45. Nam idem est de Caesare respectu hominis et de homine respectu animalis M.

p. 21, 1.51. ...de Caesare respectu hominis M.

1.54-55. quoniam hominem consequitur esse in effectu...M

1. 58. Istud tamen non valet M.

1. 67. esset praedicari esse sic sumptum non esset verum praedicare hominem, sicut de quo non esset verum praedicare rectam vel curvam... M.

1.78-79. Visum fuit quod esse in effectu cuilibet alio a primo accidit M.

p.21 1.80. effectu posterius est cuilibet alio a primo, et ideo, cum prius non supponat superius, quaestio quid est aliquid aliud a primo non praesupponit si est illud, secundum quod li 'est' dicit esse in effectu, sed verum est quod quaestio quid est praesupponit quaestionem si est, secundum quod li 'est' dicit esse non prohibitum...M.

1. 83. ...sit falsa 'Caesar est' secundum quod li 'est' dicit esse in effectu, non sequitur quod ista sit falsa 'Caesar est homo' M.

p.22 1.84. quoniam quaestio quid est non praesupponit... M.

1.86. The following, supplementary, part of the question was omitted in the first transcription:

Aliter posset argui, quod illa esset falsa 'Caesar est homo' Caesare non existente vel 'homo est animal' homine non existente<sup>1</sup>, quoniam nullum mortuum est animal. Omnis autem homo est mortuus, ergo nullus homo est animal. Maior patet, quoniam animal in ratione sua includit sensibile, nullum autem mortuum est sensibile. Minor etiam apparet ex hypothesi.

Et dicendum ad hoc, quod mortuum est privatio vivi; vivum aliquid potest dici dupliciter: uno modo dicitur vivum exercens operationem vitae, secundo modo dicitur vivum secundum quod dicitur a vita secundum quod vita idem est quod anima<sup>2</sup>, quae quidem anima est principium vivendi. Et vivum primo modo idem est quod habens operationem vivendi; secundo modo vivum est idem quod animatum. Ideo cum mortuum sit<sup>3</sup> privatio vivi mortuum dupliciter dicitur: uno modo dicitur mortuum privatio operationis vivendi, alio modo dicitur privatio principii vivendi. Et secundum hoc solvendum.

Ad argumentum cum dicitur "nullum mortuum est animal", si sumas mortuum secundum quod dicit privationem operationis vivendi, sic maior falsa est. Aliquod enim quod non habet operationem vivendi bene est animal, quia animal forte cadebat in ratione ipsius<sup>4</sup>. Unde cum non<sup>5</sup> vivat, adhuc est verum animal praedicari de ipso. Si autem sumatur mortuum secundum quod dicit privationem principii vivendi, quod est animal, sic est vera maior et minor falsa. Homo enim licet non sit aggregatum nunc ex materia et forma retenta hypothesi facta prius, tamen<sup>6</sup> aggregatum fuit ex materia et forma et ex corpore et anima prius. Unde est aggregatum ex anima et corpore. Nam visum fuit (qu. 31, above p.58) quod tale aggregatum non sequebatur esse in effectu, sed esse nunc vel posterius vel prius.

---

1. vel — existente: om. F.    2 anima: animal F.    3 sit: idem sit quod M.  
4. quia — ipsius: om. F.    5 non: homo F.    6 tamen: tunc F.